



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilivm Francofordiense, De Ecclesia Bambergensi In Cathedram
episcopalem erigenda, celebratum anno Domini MVI. tempore Ioannis
papae XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
1005.
a CONCILIVM TREMONIENSE
PRO REFORMANDA ECCLESIA
celebratum anno Domini millesimo quinto, tempore
Ioannis papæ XVII.

NOTA.

* *Concilium.*] Ditmarus libro 6. testatur, allegato tempore celebratam esse in Germania magnam Synodum Tremoniensē, in qua rex Henricus de eius temporis sanctæ ecclesiæ deformatione conquestus, magna instantia apud episcopos laboravit, ut collapsa ecclesiæ disciplina reformaretur. Præstiterunt illud pro viribus quibus id potuerunt diligentissime, communique consensu ediderunt sacros Canones, quibus sanctissimæ leges ecclesiasticæ in pristinum usum reuocarentur, prauique mores, qui in clerum ac populum irrepserant, exularent & corrigerentur. Quibus statutis rex sibi Deum propitium conciliauit, viamque ad victorias consequendas & Romanum imperium obtinendum aperuit. Celeberrimi Concilii acta plane interierunt: exordium dumtaxat eorum apud Ditmarum descriptum reperitur tale: *Anno dominicæ incarnationis millesimo quinto, anno autem domini Henrici secundi regnantis quarto, inchoato, in die Nonarum Iulii.* Reliqua desunt.

Locus &
acta Con-
cilii.Actorum
fragmentum.

ANNO
CHRISTI
1006.
a CONCILIVM FRANCOFORDIENSE,
DE ECCLESIA BAMBERGENSI IN CATHEDRAM
episcopalem erigenda, celebratum anno Domini MVI.
tempore Ioannis papæ XVII.

NOTA.

* *Concilium.*] In hoc Concilio, testimonio Ditmari, qui eidem præfens interfuit, inter alia tractatum est de ecclesia Bambergensi in cathedram episcopalem erigenda: idque ad petitionem regis Henrici, qui eam ciuitatem a puero dilexerat, & semper excoluerat, & vxori in dotem assignauerat. Henricus Vvirceburgensis episcopus ad Synodum vocatus venire noluit, nisi post vnionem suæ parochiæ cum Bambergensi ecclesia factam ipse archiepiscopus constitueretur. Exordio Concilii petitionem suam episcopis in Synodo confidentibus rex patefecit, verbis quæ a Ditmaro recitantur hæc: *Confidentibus ibidem ordine archiepiscopis cum omnibus suis met* suffraganeis rex humo tenus prosternitur, & a Vvillegiso antistite Moguntino, in cuius diœcesi Synodus habebatur, eleuatus, cunctis presentibus talia satur: Ob recompensationem futuram Christum heredem elegi, quia*

Acta Con-
cilii.* hocce,
suffraganeis

in sobole acquirenda nulla spes remanet mihi. Et quod precipuum habui, meipsum cum modo acquisitis seu acquirendis in sacrificium Patri ingenito iam dudum secreto mentis obtuli. Episcopatum in Bauenberg a cum licentia antistitis mei facere haecenus concupiui, & hodie iustum hoc perficere volo desiderium. Ob hoc serenissimam vestrimet interpello pietatem, ne absentia eius qui per me voluit obtinere quod mihi non licuit huic concedere, propositum voluntatis meae queat impedire, cum in baculo eius mutua confirmationis signo clarescat, hunc non propter Dominum, sed ob dignitatis nullatenus adipiscenda dolorem fugisse. Moueat omnium corda presertim, quod per ambitionem suam sanctae matris ecclesiae augmentum annullare cum nugigerula legatione presumpsit. Ad haec firmiter constituenda, contactalis meae praesentis & unici fratris & coheredis mei larga benignitas aspirat: & sibi placita adimpletione his me eadem restituere utique pro certo sciat. Si quando autem episcopus venire, & promissa dignatur suscipere, paratum me ad omne quod vobis bonum videtur procul dubio inueniet.

Finitis talibus alloquiis, Bernigerus antistitis Henrici V. virceburgensis capellanus surrexit: propter timorem regis seniore suum huc non venisse, & detrimentum ecclesiae sibi a Domino commissum in aliquo fieri nunquam laudasse, testatur: & obsecrat cunctos praesentes per Christi amorem, ne talia fieri, absente eo, futurum sibi in exemplum paterentur. Priuilegia eiusdem ibi alta voce recitantur. Inter haec quotiens rex anxiam iudicium sententiam nutare perspexit, totiens prostratus humiliatur.

Tandem archiantistiti V. villegiso, quid de his faciendum foret, iudicio perscrutanti, Tagmo primus respondit, haec tunc secundum regis eloquium legaliter fieri posse. Cunctis praesentibus eius sermonem tunc affirmantibus, & subscribentibus, Eberardo tunc cancellario cura pastoralis a rege committitur, & hic a praefato archipraesule eodem die consecratur. Post haec autem Henricus antistes auxilio confratris Heriberii archiepiscopi Colonien- sis regis gratiam & impletionem sibi placitam acquisiuit.

Bamber-
genis epi-
scopatus
erigitur.

CONCILIVM AENHAMENSE

HORTATV AELFEAGI DOROBERNENSIS
& Vvultani Eboracensis archipraesulum, ab Aethelredo rege indictum, accersitisque episcopis, & vniuersis Anglorum optimatibus, in die sanctae pentecostes celebratum, inter annos Domini MVI. (id est regis Aethelredi XXVIII. quo Aelfeagus a Vvintonia ad Doroberniam translatus est) & MXIII. (hoc est Aethelredi XXXV. quo truncato a Danis nefandissime Aelfeago Liuingius) successit in Dorobernensi archiepiscopatu.

TITV.

ANNO
CHRISTI
1006.

CIRCA
ANNUM
CHRISTI
1009.

CIRCA
ANNUM
CHRISTI
1009.